



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Extensione sua super crucem Christus quid nobis mysticè insinuet, quique
nosipsos extendere ad anteriora debeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

omnia eiusdem ossa. Heu bone Iesu, quam amara tibi fit hæc tua passio, quantos labores, quantas tristitias, quantos denique cruciatus parit tibi hæc charitas tua, qua nos redimis. Venite omnes & videte redemptoris vestri dolorem. Videte quomodo ut cithara extenditur in cruce, animadvertite quibus redimamini doloribus. Væ væ peccatis nostris, quæ tam diros poenarum Christo inferunt cruciatus. Reuelatum est quibusdam, poenam tunc cordis Christo fuisse maximam, extensis omnibus membris, tamquam gratum Christo fore, si oratione honoraretur in eiusdem doloris memoriam dominica, ac si balsamo tunc perungeretur suavissimo.

Extensionis Christi dolor oratione cuiusmodi honorandus

Extensione sua super crucem Christus quid nos mysticè insinuet, quique nos ipsos extendere ad anteriora debeamus.

Cum in Christi sicum esset voluntate ac potestate, quo vellet mortis genere nos redimere, id elegit, quod asperius erat, quod ignominiosius erat, & quod maiorem, non solum exhiberet, sed in Christi etiam corpore figuraret charitatem. Quid enim extensio membrorum Christi indicat aliud, quam summam diffusionem largitatis, ex summa affectione charitatis erga nos emanantem? Extensione namque hac brachiorum & membrorum, ostendit se nos tantum diligere, quantum amare potuit. Omnem namque suæ dilectionis vim in nos effudit, exponendo se totum pro nobis, atque semetipsum totum nobis dans, sibi nihil seruando, quod non daret in usum nostros. Quicquid potuit, quicquid erat, totum nobis tradidit: & quod verbis non potuit exprimi, quantum scilicet daret nobis, figura & signo corporis explicauit. Ideo enim brachijs in cruce extensis voluit mori, quo ad recipiendos peccatores quoscunque ad se venientes paratissimum, ad amplexandos poenitentes maxime desiderandum sese ostenderet. Quamobrem B. dicit Bernardus: Quis non rapiatur ad spem & fiduciam impetrandæ salutis, dum in eius cruce considerat corporis dispositionem, videlicet caput inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, manus apertas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedes clavis affixos ad nobiscum commanendum, totiusque corporis extensionem ad se totum nobis impendendum? Hæc ille. Fecit itaque Christus, quomodo pueri solent interrogati quantum diligant. Interrogas puerum, dicens: quantum diligis me? ostendit respondens ad mensuram palmæ, vel cubiti, vel brachij: aut si indicare vult, quantum sit possibile se amare, atque ex toto suo corde te amare, ambo extendens brachia: Tantum, inquit, diligo te. Vide quomodo Christus quoque ita fecerit, qui expansis brachijs & manibus, ipsa forma crucis loquitur, dicens: Tantum diligo vos, quicquid sum, quicquid possum, vobis tribuo, in vestros usus profundo, & si verbis amorem quem ad vos habeo, minus explico, signo hoc passionis quam pro vobis sustineo, hoc est, expansis in cruce brachijs, id vobis commonstro.

Extensione membrorum quid nobis Christus insinuet.

Brachijs extensis cur mori voluerit Christus. Bernardus.

Dilectionis suæ magnitudinē quibus signis indicauerit nobis Christus.

Secundò, admonemur Dominum Iesum esse diuersò diligere, atque ostendere quomodo ex toto corde, ex omnibus viribus, atque ex tota virtute, & toto posse parati simus illum amare, eidemque nos totos exponere. Hoc autem tunc facimus, quando in eius amorem, in eius beneplacitum, in eius honorem, in eius obsequium omnia corporis nostri membra conuertimus. Hoc autem iustissimum est, ut quemadmodum membra nostra exhibuimus seruire im-

Dilectionē nostrā quibus signis Christo declaremus.

Rom. 6.

mun-

Membra
nostra quo-
modo in ob-
sequiū Chri-
sti conuer-
tenda.

Roma. 12.

Ioannes
Cassianus.

Primitiæ o-
mnium me-
mbrorum no-
strorū om-
nium manē
Deo offe-
rendæ quæ.

Acedia quo-
rundam uti
superanda.

Extendere
ad anteriora
quomodo se-
quisq; debe-
at quotidie.

munditiæ & peccato, iuxta desideria & concupiscentias carnis: ita eadē nunc
conuertamus in sanctificationem, ad seruiendum Deo iuxta deuotionem spi-
ritus. Manifestum est certè, quantum seruiuerimus diabolo, membra nostra
eidem in eius obsequium præbendo, ad explendas concupiscentias nostras vi-
tiosas. Iam igitur diabolo abrenunciantes, ex membris nostris hostiam Deo
placentem, rationabilēq; obsequium, hoc est, quod seruata discretione, & ab-
que corporis destructione per immoderatum feruorem, Deo soli sacrificetur.
Docet Ioannes Cassianus, quod omnibus (potissimè autem monachis) conue-
niat, ut mane surgentes, antequam quicquam faciant, antequam ad alia qua-
cumq; se moueant, aut sese occupent, primo omnia Deo sua membra locent, o-
mniumq; membrorum suorum primitias & actus Deo offerant. Os primò ad
Dei aperiatur laudem, genua ante Deo se incuruent, quam ad prophana terre-
nāq; moueantur: pedes antequam quoquam ambulent, in Deo se aut laudem,
aut obsequium moueant: oculi primo cælos suspiciant, cor ad Deum suspi-
ret: & hoc modo singula membra hominis operationum suarum quotidie
exordia Deo impendant. Tertio admonentur acediosi, qui de lecto manē non
possunt, desidia illis imperante, recedere: ut animaduertant, cuiusmodi lectū
habuerit Dominus Iesus, quo ipsi compuncti, suam acediam superent. Quar-
to admonemur, contemptis prioribus operibus nostris, nouo quotidie fer-
uore ad anteriora (hoc est, ad perfectiora) nos extendere. Debet enim, si vicem
aliquam Christo desideramus rependere, esse & desiderium & studium no-
strum, omnia corporis nostri membra, omnes vires quoque tum animæ, tum
corporis, in Dei seruitium, in Dei laudem & beneplacitum expendere.

IESUS CRUCI AFFIGITUR. *Artic. XLI.*

Matth. 27.
Luca: 23.

Postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi cruci-
fixerunt eum.

HOMILIA XLI.

Dominus noster Iesus Christus quo suam erga nos indissolubilem osten-
deret charitatem, dignatus est in cruce non solum extendi, verum etiā
clauis affigi, ut securum præberet cunctis ad se refugium, atq; acceden-
di fiduciam, tanquam ad saluatorem: commonstraret quoq; se non solum pa-
ratum, sed etiam charitate captū, vinctum, ligatum, atq; affixum, ut aliter nō
posset, quam ad veniam & misericordiam recipere. Ideo enim manus & bra-
chia habuit expansa, quo paratum se ad omnes recipiendos ostenderet: ha-
buit & manus affixas, quo sis securus, quod vim illi facere queas, tanquam ei
qui superatus sit charitate. Potest enim cogi, quia vult cogi: & quo intelli-
gatur velle cogi, ac aliter se non posse quam velle reconciliari, permittit se ex-
pansis brachijs ad crucem figi, ut quicumq; velit, se insinuare possit eius amo-
ri. Itaq; quod supra dictum est, extensis neruis, venis, membrisq; omnibus,
dissolutisq; membrorum compagibus, cruci affixus est Dominus Iesus. Ho-
mo enim primus accedendo ad lignum præparationis, tangendoq; & ma-
nus extendendo, manibus vsus fuerat ac pedibus, ad scribendum chirogra-
phum damnationis nostræ: quod ut Saluator noster deleteret, affixit illud cru-
ci, dum